



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118472

§. 112. Cæsaris artes erga summum Pontificem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66495)

Sæcul. XVI.
A.C. 1525.

§. CXII.

*Cæsaris artes erga summum
Pontificem.*

Interim Sueffæ Dux Romæ compere-
rat, quæ Cæsar circa nuperum fœ-
dus cum Clemente VII. initum decrevis-
set, quocirca protinus Papam adiit, ei-
que Cæsaris nomine significavit, quod
Carolus quidem ad fœderis executionem,
ac testandam fidei suæ integritatem pro-
pensum gereret animum, non nulla ta-
men occurrerent, quæ circa tres arti-
culos exponeret, cum Cæsar arbitraretur,
eos haud posse ratos haberi; & qui-
dem Primo sancitum agebat, ut urbes
a Ferrariæ Duce usurpatæ restitueren-
tur, quamvis Cæsar haud possit S. R.
Imperii juribus derogare, nec Ducem ad-
stringere, ut Reggium, utpote urbem
clientelari nomine Imperio obnoxiam
Sedi Apostolicæ redderet. II. Inquie-
bat, quod Prorex potestatem suam ex-
cesserit, nec Mediolanenses incolas ad
falem in Papæ ditionibus emendum ob-
stringere, nec hac supra re pactum cum
Pontifice inire potuerit, cum id unice
Mediolani Ducem respiceret, nec Cæ-
sareæ Majestati integrum esset, pro al-
tero fidem suam obstringere. III. Deni-
que dicebat, Cæsari minime probari arti-
ticu-

ticulum, qui Neapolis Beneficia spectaret, nisi saltem ea addatur clausula, ut hac in re juxta usitatum Neapolis Regum Prædecessorum suorum morem procedatur. Cum igitur Papa probe cognosceret, nolle Cæsarem hosce tres articulos ratos habere, vicissim & ipse reliqua acceptare recusabat, proin totum utrinque negotium velut infectum permansit.

Sæcul. XVI.
A.C. 1525.

§. CXIII.

Investituræ diploma pro Mediolanensi Ducatu a Cæsare Francisco Sfortiæ concessum.

Alius adhuc articulus Cæsaris fidem quodammodo suspectam reddebat; quippe Hurtado Lopesius in Italiam ire jubebatur, ut Italos in Caroli obsequio contineret. Hic idem ad Franciscum Sfortiam pro Mediolani Ducatu inaugurationis diploma deferebat, adjecta tamen conditione, quæ vix impleri posse credebatur; nam vi istius Dux obtrinebatur, ut ad compensandos sumptus, quos Cæsar in tuendo Ducatu impendisset, ducenta aureorum millia penderet, præter alia ejusdem monetæ millia, quæ ob diploma numerare compelleretur. Summa hanc conditionem explendi difficultas non paucis suspicionem ingessit, Cæsarem eo consilio Sfortiam ita onerasse, ut

ut